domino ihesu quia nihil commune per ipsum. nisi ei qui existimat quid commune esse illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur. iam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere pro quo mortuus christus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est regnum dei esca et potus. sed iusticia et pax et gaudium in spiritu sancto. Qui enim in hoc servit christo. placet deo et probatus est hominibus. Itaque que pacis sunt sectemur. et que edificationis sunt in invicem custodiamus. Noli propter escam destruere opus dei. Omnia quidem munda sunt. sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem. et non bibere vinum. neque in quo frater tuus offenditur aut scandalizatur aut infirmatur. Tu fidem quam habes penes temet ipsum habe coram deo. Beatus qui non iudicat semet ipsum in eo quod probat. Qui autem discernit. si manducaverit dampnatus est. quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide peccatum est.

XV

Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad edificationem. Etenim christus non sibi placuit. sed sicut scriptum est. Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Quecumque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt. ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Deus autem patientie et solatii det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum ihesum christum. ut unanimes uno ore honorificetis deum et patrem domini nostri ihesu christi. Propter quod suscipite invicem sicut et christus suscepit vos in honorem dei. Dico enim christum ihesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem dei ad confirmandas promissiones patrum. Gentes autem super misericordia honorare deum. sicut scriptum est. Propterea confitebor tibi in gentibus et nomini tuo cantabo. Et iterum dicit. Letamini gentes cum plebe eius. Et iterum. Laudate omnes gentes dominum et magnificate eum omnes populi. Et rursus ysaias ait. Erit radix iesse et qui exsurget regere gentes in eum gentes sperabunt. Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo. ut habundetis in spe et virtute spiritus sancti. Certus sum autem fratres mei. et ego ipse de vobis quoniam et ipsi pleni estis dilectione. repleti omni scientia. ita ut possitis ipsi alterutrum monere. Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte tamquam in memoriam vos reducens propter gratiam que data est mihi a deo ut sim minister ihesu christi in gentibus sanctificans evangelium dei ut fiat oblatio gentium accepta sanctificata in spiritu sancto. Habeo ergo gloriam in christo ihesu ad deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum que per me non efficit christus in obedientiam gentium verbo et factis in virtute signorum et prodigiorum. in virtute spiritus sancti. ita ut ab ierusalem per circuitum usque in illiricum repleverim evangelium christi. Sic autem hoc predicavi evangelium. non ubi nominatus est christus. ne super alienum fundamentum edificarem. sed sicut scriptum est. quibus non est annuntiatum de eo. videbunt. et qui non audierunt intelligent. Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus. cupiditatem autem habens veniendi ad vos. ex multis iam precedentibus annis. Cum in hyspaniam proficisci cepero. spero quod preteriens videam vos et a vobis deducar illuc si vobis primum ex parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiscar in ierusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim macedonia et achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in ierusalem. Placuit enim eis et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes sunt gentiles. debent et in carnalibus ministrare eis. Hoc autem cum consummavero et assignavero eis fructum hunc proficiscar per vos in hyspaniam. Scio autem quod cum venero ad vos in habundantia benedictionis christi veniam. Obsecro ergo vos fratres per dominum nostrum ihesum christum et per caritatem spiritus sancti. ut adiuvetis me in orationibus pro me ad deum. ut liberer ab infidelibus qui sunt in iudea. et obsequii mei oblatio fiat accepta in ierusalem sanctis ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem dei et refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis amen.

XVI

Commendo autem vobis phoeben sororem nostram que est in ministerio ecclesie que est cenchris ut eam suscipiatis in domino digne sanctis. et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit. Etenim ipsa quoque astitit multis et mihi ipsi. Salutate priscam et aquilam adiutores meos in christo ihesu. qui pro anima mea suas subposuerunt cervices. quibus non solus ego gratias ago. sed et cuncte ecclesie gentium. et domesticam eorum ecclesiam. Salutate ephenetum dilectum mihi. qui est primitivus asie in christo ihesu. Salutate mariam que multum laboravit in vobis. Salutate andronicum et iuliam cognatos et concaptivos meos qui sunt nobiles in apostolis. qui et ante me fuerunt in christo. Salutate ampliatum dilectissimum mihi in domino. Salutate urbanum adiutorem nostrum in christo. et stachin dilectum meum. Salutate apellen probum in christo. Salutate eos qui sunt ex aristoboli. Salutate herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex narcissi domo qui sunt in domino. Salutate tryphenam et tryphosam que laborant in domino. Salutate rufum electum in domino et matrem eius et meam. Salutate asincritum phlegontem. hermen. patrobam. hermam et qui cum eis sunt fratres. Salutate philologum et iuliam et nereum et sororem eius et olimpiadem et omnes qui cum eis sunt. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes ecclesie christi. Rogo autem vos fratres ut observetis eos qui dissensiones et offendicula preter doctrinam quam vos didicistis faciunt et declinate ab illis. Huiusmodi enim christo domino nostro non serviunt

STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ
http://digital.slub-dresden.de/ppn341421227/706